

Bibliothèque numérique

medic@

**Dubois-Foucou, Jean-Joseph -
candidat / Chopart, François -
président. - De dentium vitiosè
positorum curatione**

1775.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°20***

DE
DENTIIUM VITIOSÈ POSITORUM
CURATIONE.
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

QUAS, Deo juvante, & præside M. FRANCISCO
CHOPART, Liberalium Artium & Chirurgiæ Ma-
gistro, Regiæ Chirurgorum Academiæ Socio, necnon
Scholarum practicarum Professore, tueri conabitur
JOANNES-JOSEPHUS DUBOIS-FOUCOU, Telonen-
sis, in almâ Universitate Parisiensi Artium Libe-
ralium Magister, Theseos Auctor.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;
Die Sabbati 22^a Julii, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.


Anno R. S. H. 1775.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXV.



DE
TENTUM VITIOSÈ POSITORUM
CURATIO
THESE
ANALYTICO-PRAGMATICÆ

AVCTORE
J. G. L. L.

PARISIIS

MDCCCXXXIII

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS

PARISIENSIBUS

ET

LIBRARIIS



D. O. M.
T H E S E S
ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

DENTES, ossa omnium albissima ac durissima, primi digestionis apparatus instrumenta, pronuntiatûs ministri, sub blandâ duplicis arcûs specie utriusque maxillæ alveolis infixi, necnon quibusdam intervallis modò latioribus, angustioribus modò distincti, os humanum eleganter exornant. Ut plurimùm triginta duo, cuique nimirùm maxillæ sexdecim, in adultis numerantur; quatuor incisores, canini duo, molares decem: at, pro variâ ætatum ratione & peculiaribus circumstantiis, varius est eorum numerus. Duabus constant partibus; quæ foris extrâ gingivas eminet, *corpus*, *corona*, seu *basis* nuncupatur; quæ verò in alveolis latitat, figuræ coni haud absimilis, *radix*:

A

hæc ab illâ , non levi coarctatione *collum* dictâ , fecernitur. Duplici quoque substantiâ donantur. Prior, externa, candore nitens, duritie pollens, acidis prorsus solubilis, ad osseam corporis partem tantum apposita, vulgò *encaustum* audit : posterior, compactæ cæterorum ossium substantiæ non impar, vocatur *dentis ossea pars*, quæ penitus radicem componit; eâdem etiam, in dentium corpore amplius, in radice verò angustius efficitur cavum, per quod nutritia vasa, necnon quinti paris nervorum ramuli subeunt, & in pulpam distribuuntur, quæ fuit olim mucosus ille folliculus. Sed, cùm de vitioso dentium positu, ac ejus curatione differere ferat nobis animus, eorum ortum & incrementum prius exponere comperit.

Rudimenta dentium, haud secus ac cæterorum ossium, gelatinam assimilant. In maxillarum marginem, quo præsepiorum parantur hiatus, latissima & oblonga occurrit striatura, membranaceis ac vasculosis cumulata folliculis, gelatinoso confertis humore, dentis germine, ad ejusdem ima striaturæ vasculari funiculo connexis, & pro variâ futuri dentis specie, formâ, figurâque diversis. Tunc, parco tempore, & alveoli intrinsecus tenui laminâ firmiori circumscribuntur, & ex uniuscujusque superficie matricis aut sacculi succus exsudat in dentis encaustum, osseamque partem abiturus, quo paulatim crusta gignitur, novis subnascentibus fibrarum stratis brevè crassescens. Adest igitur tum vitrea pars, tum ossea, incisioribus corpus constituens in limbum secantem sensim extenuatum; caninis, in conum compressi & acuminati speciem fastigiatum; molaribus, aliquot mucronibus exsculptum. Illud autem corpus, in quo radix adhuc desideratur, sic insidet, ut ejus apex in incisioribus paululò anteriùs, exteriùsque; in caninis eodem, sed ampliùs vergat: dum in molaribus maxillæ superioris extrorsum; inferioris introrsum, tendit. Corpus tandem quâ parte parvum, se sensim contrahit & conglobat, ad delineandam hanc striam quæ collum dicitur.

Ab impetu arteriarum per locum radici propiorem decurrentium, aut à quâlibet causâ urgetur dentis corona contrâ eam membranam crassam quæ alveolum investit ; quæ quidem compressa ac valdè extensa paulatim extenuatur, ac demùm dirumpitur. Ita per eam exigua primò dentis particula erumpit, deindè sensim pars major, & corona usque ad sulcum quo à radice fecernitur. Ex solitis naturæ legibus, dentes incisores, primi ; inferiores primùm, secundò superiores ; deindè canini, inferiores & superiores ; molares tandem, postremi protruduntur.

Cùm erumpunt dentes, vix inchoatæ radices è collo pullulant, in longumque crescunt, fistulæ non absimiles, latiori perviæ foramini quod, novo ossæ materiei congestu sensim coarctatum, ad cujuslibet apicem angustissimum instruit canaliculum. Alveolus tandem circà eruptum solidatumque dentem contractior, ad radicis figuram sese accommodat, eamque stabilem coerces.

Sic habentur, in primo dentitionis stadio, ortus & exitus viginti dentium lacteorum. Hi verò debiliores dentes renovationi destinantur in altero dentitionis tempore, quæ *secundaria* nominatur. Quæ quidem nova dentium eruptio in septuennibus circiter incohatur à quatuor majoribus ponè lacteos molares positis, uno utrinque maxillarum ; deindè eodem procedit ordine, quo primaria processerat : incisores scilicet priùs, indè canini, dein minores molares, utrique nempè maxillæ octo pro lacteis quibusque, non verò duo pro unoquoque è prioribus, ut falsò retulit clar. D. Bertin ; demùm quatuor alii majores ponè primarios constantes ; ultimò tandem moderatores vel sapientiæ dentes pro lentâ plus minùsve eorum adortûs progressionem eminent.

Quâ peractâ dentitione secundariâ, ea est maxillarum dispositio, ut utriusque incisores & canini duplicem arcum effin-

A ij

gant, cujus superior ita prominet, ut maxilla inferior paulum retrò superiorem cedat; molares verò mucronibus gaudent duplici tractu instructis, quorum alter externus à caninorum apice, internus alter à posticâ eorundem parte ad oris ima directè pertingunt. Sic etiam hic est legitimi dentium positus ordo, ut unica eorum series in maxillas occurrat; ut alveolis radices firmiter infigantur, & pars nuda dentis radici ferè ad perpendiculum insideat; ut incisores anteriùs positi omnem eorum corporis faciem penè planam & modicè convexam exteriùs offerant, canini à lateribus sequentes, unus utrinque, dein molares minores ac grandiores eodem modo sub arcûs specie disponantur; ut tandem inter se eorum apice æqualiter emineant, à se invicem non longè distent, nec secundum latitudinem arctiùs concrevant. Quæ cum ita sint, omnes varii dentes suis cuique eorum classi propriis & singularibus officiis aptè & examussum funguntur; incisores secant, canini perforant ac discerpunt, molares fortiter durissima quæque conterunt.

Sed dentes secundarii tantum aut rarissimè primarii (a), ab illo mirabili & genuino ordine multiplici varioque modo dimoveri possunt. Aliàs incisores & canini inferiores extrà superiores plurimum excedunt; aliàs isti retrò projiciuntur: utrique autem non modò inordinati aliquandò sedent, verum diversè etiam vergunt, adeoque coercentur, ut oblongiores primi renovati aliorum obstant accretioni; qui quidem inter vicinos cuneati incarcerantur, donec cujuspiam defectus expeditum eis exitum præstiterit. Alii tandem sub gingivis vel in alveolis latentes resident,

(a) Cum maxillæ primùm dentibus expertes amplissimum haudque impeditum marginem offerant, germinantes primigenii inordinati rarissimè videntur; contrà verò secundarii priorum limina mox obsessuri, pro variis obicibus cluctandis, deviatu faciles sæpius occurrunt.

dum alii vacanrem alienam sedem invadunt ; unde fit aberratio & quandòque dentium transjectio (a).

Ex permultis causis vitiosi dentium positus oriuntur ; quæ quidem in internas & externas diducuntur. Inter priores alienus germinis situs , ampliores præ dentibus maxillæ vel ii hisce crassiores , eorum numerus ultrà modum auctus , vitiosa vel maxillarum vel dentium unius cum alterâ relatio , varii tùm è labris , tùm è buccis ac linguâ actionis gradus : inter posteriores , ictus , lapsus , vehementes nifus , noxique habitus sunt recensendi.

Quibus memoratis , perpendenti cuilibet facilè patebit , quot & quantis vitiosè positi dentes præbeant ansam incommodis. Hinc scilicet oriuntur os invenustum , inexplicita loquela , gingivarum , buccarum aut linguæ phlogosis & ulcera , imperfecta demùm manducatio , & exindè pravæ digestionis , &c. Præterea nonnulli unius maxillæ dentes alterius adversis obvii non evadentes nihil officii adimplent , inutiles habentur , alveolis minùs infixi ex iisque recedentes , sensim sine sensu longiores evadunt , ac demùm labantes decidunt : cæteri verò utpotè toti manducationis operæ prorsùs dediti , nimio contritu ad collum usque paulatim atteruntur & quandòque acriori sensu donantur. Aliàs tartarum instrumentis impervium dentes vitiosè positos obducit , ac iis validissimè adhæret ; undè irritatio gingivarum , periosteï , eorum tumefactio ab affluxu fluidorum , minor alveolorum vis contractilis , & exindè mobiles dentes præmaturè cadunt. Aliàs è nimium coarctatis , caries præsertim in eorum contactu ; aliàs tandem integrâ dentis eruptione præpeditâ , è vicinarum partium compressione varia oriuntur symptomata , dolores maxilla-

(a) Ruifchius, Swietenus & alii viderunt ex medio palato dentem molarem erupisse. Vidimus etiam caninum in eodem loco. Legere est mirabile naturæ aberrantis exemplum adnotatu dignissimum à celeberrimo Albino memoratum in annot. Acad. lib. 2. cap. 13.

rum & capitis, inflammatio, febris, motus convulsivi, &c. ; quæ quidem quandòque extracto vicino dente protinùs dispelluntur, ut Chirurgo observavimus doloribus, vigiliâ, & persæpè abscessibus laboranti, uno ex dentibus sapientiæ inter apophysim coronoideam & vicinum molarem arctè coercito. Majorem penultimum extraximus molarem, quâ medelâ fuit sanitas restituta.

Primaria dentitio futuram secundariæ indolem non rarò ita prænuntiat, ut ex primigeniis dentibus, plus minùsve angustis & coarctatis, secundariarum positio queatinferri.

Varia vitiosi dentium positûs pro eorum ætate, pro genere dimotionis, diversisque dentibus deviis adhibetur medela. Triplex verò quoad ætatem, ortûs scilicet, incrementi, statûsque spatium statuitur: triplex quoque dimotionis species consideranda nobis est. Prior juxtâ latitudinem dicitur, & apparet, cùm dentes nimium coerciti invicem decussati objiciuntur; posterior pro crassitudine habita, tùm respectu dentium unius & ejusdem maxillæ, tùm relativè ad dentes adversos accuratè distinguenda; in alterâ tandem naturali situ infixi dentes vel leviter vel prorsùs obvertuntur.

Incisores & canini nec rarò nec difficiliùs dimoventur: quod quidem non mirum, extremam eorum coronæ superficiem cæteris minorem ac lacteorum radices spectando. Etenim renascentis v. g. incisoris coronæ, primigenii dentis radici subjecta ponatur; si illius coronæ & primarii radices extrema perpendiculariter sibi invicem occurrant, nulloque modo inter se devient; hæc paulatim deletur, donec, remanente tantùm coronâ, dens secundario subnascendi locum cedat: sin autem coronæ fastigium ab apice radices declinaverit, tunc ex parte quâ minus adest obstaculum, dens secundarius plus minùsve crescit obliquè, ita ut non modò suppositi, verùm vicini dentis etiam aliquandò radices atterat. Major molarium coronæ superficies ac radicum

numerus eorum obstant dimotioni ; undè quandòque minores & perrarò majores à recto situ declinant.

Medii incisores alternâ vice primò renascuntur. Quod si quâcumque causâ deviatu aliquis prodierit, eruatur dens lacteus jam non labens (a) ; quin etiam vicinus, si angustius superfuerit intervallum. In quo quidem casu subsequentiū ortus, quorum ex parte fuit obfessa sedes, sedulò attendendus. Vix autem appareant isti, prout erumpunt, lactei proximè superstites evelluntur, donec canini locum obtinuerint. Minimi verò secundarii molares, primigeniis minores, in residuo spatio faciliùs ut plurimùm excipiuntur : attamen quandòque locus non datur amplior ; tunc cunctis penitùs accretis, unus ex utroque maxillæ latere extrahitur.

Incautum autem, quod sæpè fit, dentium effugit eruptio, sin priùs jam plurimùm accreti, adversis coaptati sint moxve coaptaturi. Quo in casu, ex eorum latitudine vel ex relativâ dentium ipsius maxillæ crassitudine dimotis suppetit lacteorum in viciniâ obstantium evulsio. Si verò pro comparatâ adversorum crassitudine, deviatu parata sedes comperiatur incapax, tunc, ut in cæteris casibus, arte conceditur amplior (b). Dentes autem paululùm devios quorum radices adhuc adolescunt, longiusculi ac obliquè præsecati bacilli usu corrigere pronum est : quod instrumentum ita maxillis interjicitur, ut, dum ab anticâ inferiorum dentium parte fulcrum mutuatur, in superiorum posticam,

(a) Lactei dentes priùs non sunt evellendi, ut rectè præcepit D. Bourdet in opusculo inscrip. *Conservation des dents*, p. 223, quàm parumper erumpantur secundarii. Accidit nonnunquam ut, naturâ à solito aberrante, hi non exoriantur ; quod quibusdam adnotavimus qui uno aut pluribus dentibus cassi erant, primariis inconsideratè extractis.

(b) Quidam limâ subtiliori dentes lateraliter abradunt. At quid malorum ex encausti ablatione, ossæ partis propugnaculi, oriatur, experienciâ constat. Hinc aliud medium efficacius tentandum.

moderatrice manu, ejus resecta moliatur extremitas. Verùm statim ut inferioris retrocessu maxillæ, hujusce dentes ponè superiores juvenis impingere valet, tunc istà frequentius & fortius iteratâ dentium mutuâ molitione omisus bacilli usus prosperè suppletur. Quandò verò tùm neglectu, cùm doloris indulgenti parentum timore, prorsus innovati necnon vitiosè positi dentes suæ accretionis cumulum obtinuerunt; varia, ut jam diximus, pro ætate, pro dimotionis deviorumque dentium genere therapeia instituitur.

Quoquò juxtà latitudinem aliqui dentes devii vergant, serico juvante fortiori filo vicinis ad quos proni desiderantur, annexo, in viam reduci queunt. Ex iis autem pro fulcro eligendis, filum connectitur validioribus, quorum numero à deviiis exsuperato, singuli vel bini tantùm sunt uno tempore deligandi.

Juxtà crassitudinem duplici modo dentes dimoveri, adhibendamque in priori casu medelam, evolvimus. Nunc de eâ in posteriori tentandâ pertractandum nobis est.

Fila, laminæ, instrumentaque variè ab auctoribus usurpata celebrantur. Ex quibus verò filum, ut penè doloris ac incommodi experts, præstantius opinamur. Cùm igitur alterutrius maxillæ quorundam dentium retrò vel antrorsùm cessio fit ad curam necessaria, vicinis & aptè dispositis dentibus cerarum sericum alligatur filum, inter singulorum intervalla ita implexum, ut antrorsùm deviatis in anteriori, vicinis verò in posteriori facie, contrariòque pro iisdem retrorsùm, apponatur; denique ut adversam usque partem protendatur, ibique nodetur. Porro laminarum usum licèt ab auctoribus decantatum, prout plurimùm doloris & operæ, minùs verò efficacix præ filis procreantem, improbandum ducimus.

Cùm omnes anteriores inferioris maxillæ dentes ante superioris adversos prominent, ex minimis molaribus utrinque prior, quin etiam è re natâ plures eximendi. Tunc sericum filum duo-

bus ex parte molaribus annexum , molares versùs altrinsecùs infixos quos circumplectitur , in anteriorum dentium intervallis decussatum sive nodatum trahitur ; deinde multoties redux magis ac magis , quantum potis est , adstringitur. Quod si inferioris maxillæ retrocessu , retrorsum adversæ dentes inferioribus impingi queant , ab illo frequenti exercitio curatio promptius absolvetur. Sed biduò vel triduò recentis fili instauranda deligatio. Dimotis autem utriusque maxillæ dentibus suppetit unius horumce apta & concinna ordinatio. Maxillarum enim mutuo conflictu incorrecta sponte suâ corrigitur , non neglectâ tamen dentium extractione pro necessitate plus minùsve deletrici. Quantiscumque verò commodis præstet filorum usus , non rarò nihilominus evenit , ut debiliori filo solidiores adultorum dentes invicti persistent devii , propterea quòd continua oppositæ maxillæ percussio vitium alit. Undè ad instrumenta necessariò confugiendum.

Varia inter instrumenta à variis auctoribus celebrata numerantur forceps & pelicanus ad scopum tamen paululùm habiles. Illud optimum sanè videtur à Cl. Dubois Ludovici XIV Galliarum Regis maximi Odontiatro adhibitum , delineatumque in libro celeb. Fauchard ; cui instrumento concavum & latius fulcrum fuit adjectum , sicut in usum adhibetur à Cl. D. Bourdet : intrusis verò dentibus eximendis tantummodò præstat ; ideòque desideratur alterum perfectius instrumentum , quod dentes vel introrsum vel extrinsecùs devios extrudere vicissimque intrudere valeat.

Dentes circum axim variis modis plus minùsve obvertuntur. Eò faciliùs legitimus eis restituitur situs , quò minùs à naturali deviantur , modò tamen unicâ radice rectâ quidem donentur : tales sunt incisores , canini & persapè minimi molares ; quod autem sensibus rarissimè percipitur. Si in radice adsit curvatura , tum dentem contorquere aut in rectum reducere situm non pe-

nēs artem est: quin imò, ne temerario nisu frangatur, sit maximè prætimendum. Undè patet, hujusce operationis, licet intuitu facilis, prognosim praximque difficultatibus implicari.

Quæ quidem operatio ope recti forcipis variis Odontiatris usitati peragitur, in eo tamen discrepantis, quod manubrium extus incurvum adversam operando effugiat maxillam, necnon ad instar coronæ dentis apprimè figuratus eam arcè complectatur. Moderatis iteratisque succussionibus dens armatâ hùc aut illuc tentatur dextrâ, dum alterâ immobilis sistitur maxilla. Deinde naturali situ denti reddito, ad perfectam usque solidationem vinculo vicinis connectitur. Dentibus verò nimium obluctantibus nimia vis est abstinenda, ne gravius vel alveoli vel dentis fracturæ periculum immineat.

Cùm à vehementissimo corporum externorum concursu dimoventur dentes, digitorum auxilio protinùs reducantur. Si verò hisce neglectis, diutiùs vitiosè siti ac consolidati remanserint, fila vel instrumenta pro casu urgente adhibenda.

Sed quocumque modo devii corrigantur dentes, juxtà gingivas eorum collum serico filo circumligare paulò priùs expedit. Hinc enim uberius in illis fluida coeunt, quorum stagnatione, mollitis alveolis, labefactati dentes faciliore erectioni habiles evadunt; ideòque plurima prævertuntur accidentia.

Ex quibus autem omnibus variis dimotionum speciebus institutis, protensissima aliarum series colligi potest; quas quidem pro temporis definiti limitibus omittamus. Diversa diversis casibus auxilia solers Odontiatris industria ministrare moliatur.

F I N I S.